



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De torneamento occisorum iuxta Montenacke, cap. 16.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

IN Treuerensi episcopatu, in quo & superior visio facta est, alter quidam miles erat Henricus nomine, cognomento Nodus. Nam & ipse malitiosus valde erat, rapinas, adulteria, incestus, perjuria, hisque similia, virtutes iudicans. Hic cum mortuus fuisset in prouincia Menevelt, in pelliceo nouo, quo vti solebat viuus, multis apparuit, domum filia maximè frequentans: non crucis signo non gladio poterat fugari, gladio saepe cadebatur, sed non poterat vulnerari, talem ex se sonum emittens, ac si mollis lectus percuteretur. Cuius amici cum super hoc consulerent dominum Episcopum Treuerensem Ioannem, dedit consilium, vt aqua clauo dominico superfusa domus, & filia, nec non & ipse, si adesset, aspergerentur: quod cum factum fuisset, de cetero non comparuit. Eandem filiam genuerat de ancilla sua, cum tamen haberet legitimam, quam cum fuisset adulta, miser corrupit, non est diu ex quo ista contigerunt. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de his, qui in bellis siue torneamentis moriuntur? CÆSARIVS: Si iusta sunt bella, vt defensio patrie, nihil eis oberit, qui defendendo se moriuntur. Quantum autem delectentur daemones in moribus illorum, qui innocentes impetunt, subsequens declarat exemplum.

*De iis
qui se-
stantur
Vastilu-
da.*

SEquenti nocte, quando exercitus ducis Louanij à Leodiensibus occisus est, seruus quidam comitis Lofensis iuxta Montenacke, locum scilicet occisionis, transiens, circa noctis principium, maximum ibi vidit torneamentum demoniorum. Neque immundis spiritibus astimo tantam fuisse exultationem, si non magnam illic cœpissent pradam. De his verò, qui in torneamentis cadunt, nulla quaestio est, quin vadant ad inferos, si nō fuerint ad iuti beneficio contritionis.